



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Vndè vera fides resurrectionis nostr[a]e acquiritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

propter Christum, errāt similiter: media ergo via tenenda est, quod fides quæ habet secum pœnitentiam, illa accipit remissionem peccatorum. Quæ remissio quia creditur & certa est propter Christum, ideo nemo debet deſperare in peccatis, sed credere remissionem peccatorum.

CREDO HUIUS CARNIS
resurrectionem.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTA.

1. Undè vera fides resurrectionis nostra acquiritur.
2. Quomodo fiet resurrectio mortuorum.
3. Quomodo corpora beatorum decorabuntur quatuor donis æterna gloriæ.

Fides resurrectionis non à ratione aut lumine naturę nostrę vel libris philosophorum & Poëtarū petenda & querenda est, sed à verbo & potentia Dei: verbū enim Dei vtrunq; prædicat. Primū, quod sit omnipotens Deus Ex. 15. Omnipotens, nomen eius. Luc. 1. Apud Deū non est impossibile vllum verbū. Si enim Deus sua omnipotentia potuit de nihilo creare omnia, & hominē formauit de limo terre, & inspirauit in illum vitam, Gene. 2. ergo eadem omnipotentia poterit & corpora ac cineres mortuorum restituere ad vitam & resuscitare: & deindè quod Deus hoc velit facere, nempe resuscitare nos & corpora nostra, vbiq; testatur scriptura, Ezech. 37. Ecce ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris, id est, euocabo: & Daniel. 12. Multi qui in pulueribus terrę quiescunt & dormiunt, ex-
citantur.

citabuntur: alij ad vitam æternam, alij ad confu-
 nem. & Job 19. Scio quòd redemptor meus viuit, &
 in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne
 mea videbo Deum saluatorem meum, & Christus
 defendit hunc articulum Matth. 22. ex verbis Exod.
 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Ia-
 cob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium,
 & Ioan. 6. inquit. Hęc est voluntas patris mei, qui
 misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum,
 habeat vitam æternam. & ego resuscitabo eum in no-
 uissimo die. Et quoniam natura hoc difficile credit,
 idè Apostoli & maximè Paul. multum laborabant
 in probatione istius articuli. 1. Cor. 15. Sicut per vnu
 hominem venit mors, ita quoq; per vnum hominem,
 id est, Christum, venit resurrectio mortuorum: & si-
 cut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo &c.
 Roman. 8. Si spiritus illius qui suscitauit Iesum à
 mortuis, in vobis habitat: ille Spiritus qui Christum
 excitauit, & mortalia corpora vestra viuificabit pro-
 pter illum, cuius Spiritus in vobis habitat. Clarus
 est hic articulus in scripturis noui testamenti ac ve-
 teris. Nam Christus multos excitauit mortuos, sicut
 viduæ filium, Luc. 7. filiam archisynagogi, Matth. 9.
 Lazarū, Ioan. 11 & Apostoli & alij sancti excitauerunt
 mortuos ad probandum hunc articulum fidei: idè
 ex verbo Dei, cui credere debemus, Deus enim non
 mentitur, immò hoc impossibile est, Heb. 6. fidem re-
 surrectionis probant, & ex potentia illius, quoniam
 omnipotens: & hęc ratio est, cur gentiles negant re-
 surrectionem, quia non credunt verbo Dei, aut quòd
 Deus sit omnipotens. Fides ergo resurrectionis est
 ex verbo Dei & exemplis, & non à natura.

2. Secundo, quomodo fiat resurrectio mortuorum,
 Apostolus 1. Cor. 15. ait: Canet enim tuba, & tunc in
 ictu oculi (*plätzlich*) omnes immutabimur, non o-
 mnes dormiemus, quia aliqui erunt residui in ad-
 uentu